

T69

Satire II, 6  
**Il podere sabino**

**Metro:**  
 esametro

- 1 Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,  
 hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons  
 et paullum silvae super his foret. Auctius atque  
 di melius fecere. Bene est. Nil amplius oro
- 5 Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.  
 Si neque maiorem feci ratione mala rem  
 nec sum facturus vitio culpave minorem,  
 si veneror stultus nihil horum: “O si angulus ille  
 proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
- 10 O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,  
 thesauro invento qui mercennarius agrum  
 illum ipsum mercatus aravit, dives amico  
 Hercule!”; si quod adest gratum iuvat, hac prece te oro:  
 pingue pecus domino facias et cetera praeter
- 15 ingenium, utque soles, custos mihi maximus adsis.  
 Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,  
 quid prius inlustrem saturis musaque pedestri?  
 Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster  
 autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
- 20 Matutine pater, seu Iane libentius audis,  
 unde homines operum primos vitaeque labores  
 instituunt – sic dis placitum –, tu carminis esto  
 principium. Romae sponsorem me rapis: “Eia,  
 ne prior officio quisquam respondeat, urge”.
- 25 Sive aquilo radit terras seu bruma nivalem  
 interiore diem gyro trahit, ire necesse est.  
 Postmodo quod mi obsit clare certumque locuto  
 luctandum in turba et facienda iniuria tardis.  
 “Quid tibi vis, insane, et quam rem agis?”, inprobis urget
- 30 iratis precibus: “Tu pulses omne quod obstat,  
 ad Maecenatem memori si mente recurras”.  
 Hoc iuvat et melli est, non mentiar. At simul atras  
 ventum est Esquilias, aliena negotia centum  
 per caput et circa saliunt latus. “Ante secundam
- 35 Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras”.  
 “De re communi scribae magna atque nova te  
 orabant hodie meminisses, Quinte, reverti”.  
 “Inprimat his cura Maecenas signa tabellis”.  
 Dixeris: “Experiar”; “Si vis, potes”, addit et instat.
- 40 Septimus octavo propior iam fugerit annus,  
 ex quo Maecenas me coepit habere suorum  
 in numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere raeda  
 vellet iter faciens et cui concredere nugas

- hoc genus: “Hora quota est?”, “Thraex est Gallina Syro par?”,  
 45 “Matutina parum cautos iam frigora mordent”,  
 et quae rimosa bene deponuntur in aure.  
 Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam  
 invidiae noster. Ludos spectaverat una,  
 luserat in campo: “Fortunae filius!” omnes.
- 50 Frigidus a rostris manat per compita rumor:  
 quicumque obvius est, me consulit: “O bone – nam te  
 scire, deos quoniam propius contingis, oportet –,  
 numquid de Dacis audisti?”. “Nil equidem”. “Ut tu  
 semper eris derisor”. “At omnes di exagitent me,  
 55 si quicquam”. “Quid? Militibus promissa Triquetra  
 praedia Caesar an est Itala tellure daturus?”.  
 Iurantem me scire nihil mirantur ut unum  
 scilicet egregii mortalem altique silenti.  
 Perditur haec inter misero lux non sine votis:
- 60 o rus, quando ego te adspiciam quandoque licebit  
 nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis  
 ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?  
 O quando faba Pythagorae cognata simulque  
 uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
- 65 O noctes cenaequae deum, quibus ipse meique  
 ante Larem proprium vescor vernasque procacis  
 pascio libatis dapibus. Prout cuique libido est,  
 siccatur inaequalis calices conviva solutus  
 legibus insanis, seu quis capit acria fortis
- 70 pocula seu modicis uvescit laetius. Ergo  
 sermo oritur, non de villis domibusve alienis,  
 nec male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos  
 pertinet et nescire malum est agitamus, utrumne  
 divitiis homines an sint virtute beati,
- 75 quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos,  
 et quae sit natura boni summumque quid eius.  
 Cervius haec inter vicinus garrit anilis  
 ex re fabellas. Siquis nam laudat Arelli  
 sollicitas ignarus opes, sic incipit: “Olim
- 80 rusticus urbanum murem mus paupere fertur  
 accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,  
 asper et attentus quaesitis, ut tamen artum  
 solveret hospitium animum. Quid multa? Neque ille  
 sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
- 85 aridum et ore ferens acinum semesaque lardi  
 frustra dedit, cupiens varia fastidia cena  
 vincere tangentis male singula dente superbo,  
 cum pater ipse domus palea porrectus in horna  
 esset ador loliumque, dapibus meliora relinquens.
- 90 Tandem urbanus ad hunc: ‘Quid te iuvat’ inquit, ‘amice,

- praerupti nemoris patientem vivere dorso?  
 Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?  
 Carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando  
 mortalis animas vivunt sortita neque ulla est  
 95 aut magno aut parvo leti fuga: quo bone circa,  
 dum licet, in rebus iucundis vive beatus,  
 vive memor, quam sis aevi brevis'. Haec ubi dicta  
 agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde  
 100 ambo propositum peragunt iter, urbis aventes  
 moenia nocturni subrepere. Iamque tenebat  
 nox medium caeli spatium, cum ponit uterque  
 in locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco  
 tincta super lectos canderet vestis eburnos  
 105 multaque de magna superessent fercula cena,  
 quae procul exstructis inerant hesterna canistris.  
 Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit  
 agrestem, veluti succinctus cursitat hospes  
 continuatque dapes nec non verniliter ipsis  
 fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.  
 110 Ille cubans gaudet mutata sorte bonisque  
 rebus agit laetum convivam, cum subito ingens  
 valvarum strepitus lectis excussit utrumque.  
 Currere per totum pavidi conclave magisque  
 exanimes trepidare, simul domus alta Molossis  
 115 personuit canibus. Tum rusticus: 'Haud mihi vita  
 est opus hac', ait; et: 'Valeas: me silva cavusque  
 tutus ab insidiis tenui solabitur ervo''.